Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

175

Nescit enim utrum odio an amore dignus sit. donec fini
antur septem plage. id est omnis predicatio ecclesie finem accipi
at. quando ueniet Christus reddere unicuique secundum
Et audiui uocem opera sua.
magnam de templo dicentem septem angelis. Ite
et effundi te septem phyalas ire dei in terram.
Vox ista uox est dei omnipotentis. Que recte mag
na dicitur quia magna precipit. Templum autem
sancta ecclesia est. sicut sepe dictum est. Porro septem angeli
omnes sunt predicatores. De templo fit uox ad angelos.
quia de ecclesia loquitur Christus predicatoribus. quia et ipsi
sunt ecclesia. Ait ergo. Ite effundite phyalas ire dei quas
accepistis in terram. Hoc est quod ipse dicit discipulis
suis quasi primis angelis. ite ad oues que perierunt
domus israhel. Et alibi legimus quod misit eos ante
faciem suam in omnem locum ad quem uenturus erat.
Quare uero phyale ire dei dicuntur supra dictum est.
quia uidelicet unde alii ueniam placationis. inde alii
iram sumunt ultionis. Per terram autem terrena de
signantur corda hominum. In terram ergo angeli phyalas
effundunt. quando sancti predicatores contra terrenos
homines loquuntur. Unde sequitur. Et abiit primus et
effudit phyalam suam in terram. Questio oritur in hoc
loco. Si preceptum est illis. ut phyalas suas in terram
effunderent. quid est quod quasi mandatum transgredien
tes. alius in terram. alius in mare. alius in flumina
et fontes aquarum. alius in solem. alius super sedem
bestie. alius in flumen magnum eufraten. alius in
aerem phyalam effudit. Quasi enim quantum ad litte